

ac michi desuper iniuncto mandato astrictus silentium rumpere compellat^{a)} 10). Cum autem imperialibus tradicionibus sit cautum, quod omnis actus, cui divina providencia non subicitur verum fundamentum, tamquam umbra pertransiens¹¹⁾ evanescit, nullius eciam duracionis existit et, si *auctorem vite et luminis respiciat, tenebras respuit et defectui nequid* 12) *subiacere* (verba habentur in L(ege) ‚Inter claras‘ § De summa trinitate et fide catholica) 13), dicam igitur de adiutorio Altissimi confidens: „Aperi labia mea, deus meus 14), et illustra animum loquentis, ut efficax sit sermo et aures demulceat auditorum!“

Et quia negocium ipsum, de quo agitur, sacrum est — puta super prestacione consensus electioni per Sacri Romani Imperii electores alias canonice et legitime ac concorditer celebrate de persona serenissimi principis et domini mei graciousissimi, domini Friderici^{b)} ducis Austrie, Stirie &c., novissime in Romanorum regum electi 15), et ad audiendum circa premissum voluntatem serenitatis sue, ad dandum denique reverendis ac prelatis patribus 16) et dominis prefatorum principum electorum ambasiatoribus venerandis ad ipsius serenitatem destinatis favorosum responsum — tamen 17), quia in loco sacro et in tempore idoneo^{c)} a sacrarum litteris scripturarum placuit ad presens exordiri, assumo^{d)} igitur verba Psalmiste psalmo quarto scripta, ista videlicet: *Signatum est super nos lumen* 18).

Serenissime princeps et domine graciousissime! Reverendissimi reverendique patres, magnifici^{e)} ac generosi viri, domini comites, barones, milites ac ceteri, omnes et singuli, in hoc excellentissimo cetu constitui!

a) compellat Hs. b) Fridrici Hs. c) ideo Hs. d) exordire assummo Hs. e) darnach ag getilgt Hs.

10) Über die „affektierte Bescheidenheit“ siehe Ernst Robert Curtius, *Europäische Literatur und lateinisches Mittelalter*² (1954) S. 93 ff., über die „Auftragstopik“ eb. sowie Leonid Arbusow, *Colores rhetorici* (1948) S. 98.

11) Vgl. Sap. 5, 9: transierunt omnia illa tamquam umbra.

12) Für nequit.

13) *Codex Iustinianus I, 1, 8, 2 ed. Paul Krüger*⁷. (1900) S. 10.

14) Vgl. Ps. 50, 17: Domine, labia mea aperies, bzw. Prov. 8, 6: aperientur labia mea, ut recta praedicent!

15) Herzog Friedrich (V.) von Österreich usw. wurde am Lichtmeßtage, also am 2. Februar 1440, in Frankfurt zum König gewählt.

16) Unter den kurfürstlichen Gesandten befanden sich auch höhere Kleriker wie der Propst von St. Florin in Köln Dr. Tilmann; siehe DRTA. 15, 130.

17) Diese Konjunktion entspricht nicht dem Sinne; besser würde tandem stehen.

18) Ps. 4, 7. Durch die bedenkenlose Weglassung der folgenden drei Worte — vultus tui, Domine — wird dem Vers ein auf den besonderen Fall anwendbarer allgemeiner Sinn gegeben.